



Sammelband


PA

85








































INTRODUCTIO IN 3  
**HISTORIAM**  
EX IOANNIS SLEIDA-  
NI TRIBUS LIBRIS  
de quatuor summis im-  
periis excerpta.



BREMÆ  
Typis Thomæ Villeriani scholæ typogr:  
ANNO  
MDCXXI.





Decorative flourish

I

Decorative flourish

b

n

t

g

r

t

p

m







INTRODUCTIONS  
IN HISTORIAM  
lib. I.

CAPUT I.

*De statu libero.*

**H**istoria, temporum testis, totius humanæ vitæ periodum hominibus ob oculos ponit. Tractat res gestas, hominibus liberis, vel imperio subiectis.

Liberi suo arbitrio vixerunt homines prima ætate tum ante diluuium, tum post diluuium.

Est autem diluuium aquarum ingens inundatio, qua Deus peccatores, ob atrociam illorum facinorosa exitio destinatos, puniuit.

Ante hoc diluuium vixit Adam primus homo, è terræ gleba ad Dei imaginem conditus, & in Paradisum

A 2

collo-



4 INTROD. IN HIST.

collocatus; cui solatii gratiá Eva, ex  
costa ipsius formata, fuit conjuncta.

Verùm in tanta felicitate & perfe-  
ctiōne non diu perstiterunt. Etenim  
paulò post ob inobedientiam ejecti  
sunt.

Filii eorundem recitantur Cain,  
Abel, Seth. Quorum Cain, primus  
parricida, pium Abelẽ ex odio & in-  
vidia interfecit.

Adam noningentos & triginta  
annos natus mortuus est.

Cujus filius Seth, postquam Enos  
genuisset, noningentos & duodecim  
annos natus naturæ concessit.

Enos attigit annum noningente-  
simum & quintum. Reliquit filium  
Kenan: qui noningentesimo & deci-  
mo ætatis anno vitam cum mortẽ  
mutavit.

Hujus progeries Mahalaleel vixit  
octingētos & nonaginta quinq; ann.

Filius ejus Jared superavit nonin-  
gentesimum & sexagesimum secun-  
dum annum.

Cujus filius Henoch, postquam  
Me-



LIBER PRIOR.

Methusalah procreasset, piè & sanctè  
vitam egit. ideo vivus in cœlum trās-  
latus est.

*Et hoc Eliam. Etiam viri in cœlum sublatus.  
Sunt Theremion et eius conjux in persecutione Valeriana. 26. ob sanctam  
providentiam et salutem.*

Methusalah, omnium hominum  
ætates excedēs, obiit anno ætatis suæ  
noningētesimo sexagesimo nono.

Filius hujus Lamech anno septin-  
gentesimo sexagesimo septimo è vita  
excessit.

Noah ejus proles genuit Sem,  
Cham, Japhet.

Quo tempore Deus ad scelestum  
hominum genus vindicandum dilu-  
vium immisit.

Ne autem imago Dei penitus cor-  
rueret, Deus Noah cum sua familia  
in arca ( in qua anni spatium fuit )  
conservavit.

Atque hæc ante diluvium conti-  
gerunt.

Post diluvium Noah filiis suis ter-  
ram colendam distribuit.

Cham verò immemor pœnarum  
divinarum non erubuit parentem  
irridendum fratribus suis propinare.  
Quare maledictionis nota insigni-  
tus fuit.

A 3

CA.



*De Imperio.*

**H**Actenus liberi homines proprio nutu vixerunt. Verum tantam prosperitatem despectui habentes, imperio se submittere coacti sunt.

Est autem imperium potestas gubernandi homines.

Fuit quondam arctum, postea latum.

Arctum imperium terminis exiguis finitum habuit Nimrod, Nohe pronepos: qui potes venator coram Domino, in terra Chaldaeorum confidens, Babel urbem, perpetuum nominis sui monumentum, ædificare cœpit.

Offensus autem Deus, irritos fecit illorum conatus, linguarum conturbatione immissa.

Posthæc Assur, Medum, Magogũ & Moscum coloniarũ huc illuc misit, qui regnasui nominis conderent, Assyrium, Medum, Magogũ, moscũ.

Assur, teste scriptura sacra, Nini-  
ven urbem ædificavit. Nim-



LIBER PRIOR. 7

Nimrodo successit filius Jupiter Belus, qui omnem agrum in Sarmatiam usq; Europæam occupasse traditur. Reliquit Ninum.

Latum imperium est, quod terminos suos longiùs extendit. Tandem monarchiæ sunt exortæ.

Quatuor autem Monarchiæ ex Danielis vaticinio perhibentur, Babylonica, Persica, Græca, Romana.

CAPUT III.

*De Monarchia prima Babylonica  
initiiis.*

**N**Inus productis longé latéq; finibus, monarchiam primus omnium incepit. Tandem ictu sagittæ interiit, relicto filio impubere Zamei.

Ejus igitur uxor Semiramis, ne regna vi capta desciscerent, sexum virilem mentita, divitiis, victoriis & triumphis nulli mortalium cessit.

Æthiopiam devicit: & in India quoque bellum gessit.

Zameis nihil memorabile fecit. Proximus ab eo Arius Bactrianos &

A 4 Cha-



8 INTROD. IN HIST.

Caspios imperio suo conjunxit.

Aralius huic succedens, ingenio & studio militari clarus fuisse traditur.

Baleus alter ab eo plurimas gētes perdomuit, suos fines ad Judæam usque produxit: ideoque Xerxes fuit cognominatus.

Armatrites, qui hunc excepit, voluptatib. & otio planè addictus fuit.

Belochus auspicia & divinationes curasse traditur.

Baleus hunc sequutus alteram à Semiramide virtutis & industriæ militaris laudem habet, atq; doctorum hominum scriptis valde celebratus fuisse dicitur.

Alcadas stultum esse duxit, multis defatigari laboribus & variis implicari curis, amplificandi regni causâ, quia ad nullam hominū utilitatem, sed ad detrimentum potius pertineret.

Mamitus belli curam atque laborem in suis iterum excitavit: ejusque potentia Syriis & Ægyptiis suspecta fuit. In



LIBER PRIOR. 9

In Mancaleo narrandi argumen-  
tum deficit. SPhæri magna fuisse vir-  
tus atque prudentia dicitur. MAmeli  
nullum facinus comemoratur. Sub  
Spareto, proditum est, passim accidis-  
se miranda.

Ascatades omnem Syriam suæ di-  
tionis fecit.

CAPUT IV.

*De monarchia prima labefacta-  
tione.*

**A**B hoc deinde viginti reges ab a-  
liis numerantur ad Sardanapa-  
lum trigessimum octavum Assyriorum  
regem.

Fuit hic omnium longè effœmi-  
natissimus, inter mulierculas perpe-  
tuò desidens, colum & lanam tracta-  
bat, nemini sui conspectum præbēs.

Ejus autem præfecti his rebus, Be-  
lochus Babylonix, Arbaces Medorū,  
ab alienati, facta conjuratione bellū  
ipsi intulerunt, & eum fugarunt.

Sardanapalus igitur re malè gesta,  
& pyrâ constructâ, se, divitiasq; oēs  
in ignem abjecit, hoc unico facto vi-  
rum



10 INTROD. IN HIST.  
rum (ut quidam ait) imitatus.

Porro hi duo præfecti monarchiã post inter se partiuntur: & Belochus quidẽ Babylonix, Arbaces verò Medorum atq; Persarum rex factus est.

Belochus, primus Assyriorum rex Manahen regem Israëlis, vectigalẽ sibi fecit.

Ei successit Phul Assur, qui urbes aliquot Judex cepit, & populum in Assyrios captivum abduxit. Hunc ipsum Achaz rex Juda, sub quo vixit Esaias, de auxiliis interpellavit adversus regem Syrię, eiq; dona misit.

Salmanassar Samariam urbẽ post trium annorum obsidionem cepit: Hoseam regem Israëlis, unãque populum abduxit: & per suam dicionẽ illis domicilium attribuit.

Sennacherib Ezechiam regem Juda mulctavit: deinde cum ingenti exercitu Hierosolymã obsedit: missis legatis populum ad defectionem hortabatur: regem à deo auxiliũ sperantem irridebat. Quare, angelo Dei percutiẽte, desideravit una nocte ad cen-



centum octoginta quinque millia hominum.

Tandem interfectus est à filiis suis Adramelech & Sarasar: qui, licet fugerent, tamen arma in fratrem Assaradonem pararunt.

Assarado post parentis necem regnum occupans, cum fratribus conflictatur.

Merodach autem Babyloniam prefectus hisce turbis descivit: vicinas gentes partim gratia, partim vi paulatim ad se transfert: indicit bellum, & duodecimo regni sui anno a ssaradone devicto, totum Assyriorum imperium Babylonis adjunxit.

## CAPUT V.

*De primæ monarchiæ instauratione.*

**N**abuchodonosor à primis annis bellum intulit Ægyptiis & regionem omnem, quæ est inde ab Euphrate usque ad Pelusium, illis ademit. Jojachim regem Juda vectigalem sibi fecit, Cujus filium Jechoniam octavo regni sui anno unà cum præ-



præcipuis suis viris & artificibus totius regionis, Babylonem captivos abduxit.

Decimo octavo regni sui anno Hierosolymam per biennium obsessam cepit, paulò post diripuit: incendit: muros diruit, potissimam populi partem captivam abduxit: regem Zedechiam exoculavit, filios illius atque proceres interfecit.

Ad annum regni sui circiter vigesimum quartum, Ammonitarum & Moabitarum regibus devictis, exercitum duxit in Ægyptum: qua regione tota occupata, Monarchiam post restauravit.

Altero monarchiæ anno somnium de statua, cuius Daniel meminit, vidisse creditur.

Magnitudo ipsius imperii inde patet: quòd comparatur arbori ad cælum usq; pertingenti, totum terrarum orbem obumbranti, & omne genus volucrum atq; animalium recreanti.

Est igitur hæc primæ monarchiæ  
sum-



summa majestas: quæ sicut hoc rege  
vehementer aucta, & ad summum fa-  
stigiumeducta fuit, ita quoq; in ipsi-  
us nepotibus desuit & deleta fuit.

## CAPUT VI.

*De primæ monarchiæ ruina & in-  
teritu.*

**E**Vilmerodach Nabuchodonoso-  
ris filius regnavit annis triginta.

Affur tribus annis præfuit.

Labassardach septem annorū rex  
fuit.

Balthasar imperii summam obti-  
nuit annis quinque. Huic Deus cala-  
mitatem imminentem denunciavit.  
Cùm enim genio indulgens, vasa  
sancta in conviviorum usum adhibe-  
ret; manus quædam parieti verba in-  
cognita, quæ à nemine præter Da-  
nielem intelligi poterant, inscripsit.

Paulò post imperii summa, rege  
interfecto, ad Darium Medum est  
translata.

Hic Darius vocatur à Scriptorib;  
Cyaxares, fuitque Astyagis filius.

Qui



Qui cū sobolem masculam non haberet, filiam suam in matrimonium dedit Cyro Persæ sororis filio.

## CAPUT VIII.

*De secunda monarchia iniitiis.*

**A** morte Darii summa rerum ad Cyrum generum delata fuit. Et hoc quidem est alterius monarchiæ initium. Jam enim Assyriam, Mediã & Persiã solus Cyrus obtinebat ad Ionicum usq; mare. Prælio cepit Cræsum Lydię regem potentissimum: initio sui regni post captam Babylonem, populo Judaico permisit, ut ex captivitate domum reversi templum ac urbem Hierosolimam reædificarent: ad eamque rem sumtum liberalissimè subministrari iussit. De victis Babylonis, bellum gessit cum Scythis: eoque profectus ipse cum exercitu tandem per insidias princeps laudatissimus, fuit circumventus, & interfectus.

In eo peccavit, quòd molliter filios inter foeminas educavit. Grandiores

res



LIBER PRIOR. 15

res enim facti, & ab assentatoribus corrupti, cum ipsorum auribus plerique servirent, mortuo parente, vitæ periculum alter alteri crearunt.

CAPUT VIII.

*De secunda monarchiæ continuatione.*

CAMBYSES Darii filius, absente & occupato patre, cepit Ægyptum. Bello quidem fuit egregius, sed alioqui vitiosus, & patris virtutem minime representans. Inter alia turpiter immaniterque facta, fratrem suum infidiosè necari iussit. Post mortem verò patris non diu fuit superstes. Darius filius Hytaspis successit. qui statim ab initio principatus arma sumit, & imperio suo rursus illos adiunxit, qui defecerant: capta quoque Babylone, post longam obsidionem, operâ Zopyri.

Bellum deinde suscepit in Athenienses; qui subito collectis copiis ingentem illius exercitum ad Marathonem, duce Miltiade, fuderunt.

Xerxes hujus filius anno decimo post prælium illud, ad Marathonem



16      INTROD. IN HIST.  
innumerabili cum exercitu venit, ut  
Græciam omnem sibi subjugaret.

Athenienses verò Themistoclis  
consilio hostem ad Salaminem insu-  
lam vincunt prælio.

Xerxes turpi & infelici fuga do-  
mum reversus, rem malè gesta, cum in  
magnum contemptum venisset, à  
suis est interfectus.

Artaxerxes Longimanus ejus fili-  
us successit. Ad hunc Themistocles  
exul profugit, ibique vitam finivit.

Darius Nothus à Longimano re-  
gnavit: qui sororem illius in matri-  
monio habuit.

Artaxerxes Mnemon & Cyrus  
Darii filii erant. Quorum ille mor-  
tuo parenti successit: Cyrus verò Io-  
niam Lydiamque tenebat: sed sorte  
sua non contentus fratri regi bellum  
intulit, in eoq; fuit victus & occisus.

Ochus ex tribus nato minimus fi-  
lius à Mnemone regnavit.

CAPUT IX.

*De secunde monarchie  
exitio.*

Da-



**D**arius postremus hunc excepit: de cuius splendore, delitiis & luxu mira narrant scriptores. Nam omnis generis coquos, cupedinarior, fartores, artifices, magistrosque gulæ & unguentarios habebat in castris, ne quid ad corporis voluptatem omnino deesset. Ei bellum intulit Alexander Philippi Macedonum regis filius. Qui, Thebis everfis, & pacata Græcia, in Asiam contendit, & tribus præliis Darium superavit, capta illius & matre & uxore & filiabus.

Ingentes quidem conditiones, & regni partem ad Euphratem usque Alexandro deferebat: sed respuit, neque antè destitit, quàm illum expugnasset.

Tertium itaque bellum Darius instaurat, & educto validissimo exercitu, rursus profligatur.

In fuga, cùm aquam turbidam bibisset, negabat unquam se bibisse jucundiùs. Nec enim sitiens unquam biberat. Trucidatur in fuga à suis.

B

CA



## CAPUT X.

*De tertia monarchia.*

**A**LEXANDER his tantis victoriis in suam ditionem perduxit, quicquid est fere terrarum ad orientem solem: in Europã ex Asia transportavit imperii summam; & **TERTIAM MONARCHIAM** constituit. Post etiam in India belligeravit.

Bonarum artium imprimis amans, & in homines doctos fuit principiò liberalissimus.

Homeri poema sibi familiarissimum habebat; Aristoteli præceptoris negocium dedit animalium describendi naturas; ad eamq; rem aliquot hominum millia per Græciam Asiãque constituit, pecuarios, venatores, piscatores, cetarios, aucupes, & id genus alios, qui de singulis illum docerent.

Sed, quæ hominum est infirmitas, tantam fortunæ benignitatem & indulgentiam moderatè ferre non potuit: & cum insolenter multa faceret,  
se-



sequē pro numine vellet propemodum adorari, Babylonem ubi venisset, feбри, vel, ut nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus, cū annorum esset triginta trium, & annos regnasset duodecim.

## CAPUT XI.

*De tertia monarchia divisione.*

**A** morte alexandri divisa fuit imperii moles in proceres Ptolemæum, Laomedontem, Antigonum, Cassandrum, Leonatum, Eumenem, Pythonem, Lyfimachum, Antipatrum, Meleagrum, Seleucum.

Lyfimachus ille est, quem Alexander iratus aliquando concluderat cum leone, cū autem interfectam belluam ab eo audisset, magno habuit in honore.

Inter eos successores, eorumque filios atque nepotes gravissima bella fuerunt, quibus vehementer afflictæ regiones in populi Romani ditionē paulatim venerunt.

In his autem præcipui fuerunt Se-

B 2 leu-



leucus Syriæ, Ptolomæus Ægypti, Antigonus Asiæ minoris, Cassander Macedonum Græciæque rex deinde factus, oppressis omnibus Alexandri propinquis.

## CAPUT XII.

*De Syriæ regibus.*

**S**eleuci virtus clara & admirabilis fuit: Babyloniam cepit. Inde, auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnavit. Trāsitum in Indiam fecit. Demetrium ad deditiōem coëgit.

Antiochus Soter, hujus filius, in imperio successit.

Antiochus Theos hunc excipiens habuit filios Seleucum, Callinicum & Antiochum, cui cognomen fuit Hierax.

Seleucus Callinicus auspicia regni à parricidio cepit: ipse de equo lapsus mortuus est.

Seleucus Ceraunus in expeditione contra Ptolomæum ( qui Philopator cognominatur ) diem obiit. Antiochus magnus, hujus frater in Europam transgressus, invadit Ptolomæ-



Iomæum Epiphanem. Sed, cùm admodum adolescentulus per ætatem Ægyptios defendere non poterat, ut regis pueri tutelam senatus suscipere, legati Romam sunt missi.

Eo factò, Antiocho denunciatur senat<sup>us</sup>, ut ab Ægypto abstineat. Offensus in Græciam cum classe trajecit, sed à Romanis devictus est.

Post acceptam cladem dicere est solitus, benignè sibi à populo Romano esse factū, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur.

Seleucus Philopator nihil principe dignum perfecit.

Antiochus Epiphanes cum patrè Antiochum magnum obiisse intelligeret, clam ex urbe Roma fugiens regnum Syriæ, filio Seleuci pulso, occupavit: Hierosolymis crudelitatem exercuit.

Libros Moyfi & Prophetarum, undique conquisitos, igne consumpsit. Ægyptū tutelæ specie tentavit. Sed C. Popilius Romanorum nomine i-



psum virgula circumscribens clarè  
jussit antè respondere, quàm exce-  
deret. Ita perterrefactus pacem pro-  
misit. curru tandè prolapsus magnis  
cruciatibus mortuus est.

Antiochus Eupater hujus filius à  
Demetrio patruo suo est interfectus.

Alexander sortis extremæ juvenis,  
nomen & originem (Antiochi enim  
se filium est professus) mentiēs, à De-  
metrio interficitur.

Demetrius igitur verus hæres erat.  
Initio enim belli Demetrius Soter  
duos filios apud Gnidium hospitem  
cōmendaverat, ut belli periculis exi-  
merentur, & si ita fors tulisset, pater-  
næ ultioni servarentur. Ex his major  
Demetrius regnum occupat: in se-  
gnitiē labitur: à fratre Antiocho Se-  
dete regno ejicitur.

Antiochus Sedetes Tryphonis cu-  
jusdam ope imperio præest.

Trypho interim in Syria tutor An-  
tiocho Demetrii privigno substitut<sup>9</sup>,  
occiso pupillo, regnum Syriæ inva-  
dit: postea expulsus à suis occiditur.

Deme-



Demetrius Antiocho Sedete fratre delecto, obsidione Parthorum liberatus, & in regnum restitutus, ob intolerabilem crudelitatem rursus regno privatur, ab Alexandro oppugnatur. Relictus tandem cum paucis servulis, cum Tyrum religione templi se defensusus petiisset, navi egrediens præfecti iussu interficitur.

Alexander Potarcla negociatoris Ægyptii cuiusdam filius efficta regis Antiochi adoptione, Demetrium in summas angustias redegit. Vincitur à Grypo.

Antiochiam profugit. Ibi inops pecuniæ sacrilegium in Jovis templo patrat.

In sacrilegio deprehensus & ad Grypum perductus, necatur.

Grypus imperio recuperato insidiis matris appetitur, quam veneno, quod paraverat ipsi, extinguit. Fratrem Cyziceum sibi hostem excitat, à quo denique superatur. Hi duo bella inter se diu gesserunt, quibus cum Syriæ regnum esset consumtum, popu-



lus externa auxilia imploravit: donec C. Pompeius Romano imperio eam subjiceret.

## CAPUT XIII.

*De Aegypti regibus.*

**P**Tolomæus, Lagi filius, Ægyptum retinuit. Justitia & liberalitate excelluit.

Ptolomæus Philadelphus admodum laudatus princeps pacem coluit, artes liberales excitavit, bibliothecam effecit luculentissimam, & Moſis libros atq; Prophetarum in Græcam linguam jussit converti.

Ptolomæus Evergetes bello claruit. Ptolomæus Philopator (cui ex facinoris crimine cognomē fuit) parentibus interfectis, Ægyptum occupavit.

Ptolomæus Epiphanes nullo admodum insigni facinore est notus.

Ptolomæus Philometor segnis quotidianá luxuriá marcescēs, regno pulsus, ad fratrem confugit. Eodem ferè tempore bello Achæos Romani propter



propter legatos violatos adorti sunt. Ptolomæus Evergetes incestis libidinibus, stupris & cædibus fuit infamis.

Ptolomæus Soter crudelissimus, Judæam ingressus, quicquid mulierum ac infantium offendit, mactari & militibus in cibum coqui iussit.

Ptolomæus Alexander matris crudelitate territus, eam reliquit, periculoso regno securam vitam antepponens. Ptolomæus Auletes cum regnaret, fructus Ægypti annuos duodecim millia quingenta talenta fuisse, auctores tradunt.

Hic regno pulsus à Pompejo cōsule, per A. Gabinium est reductus.

Ptolomæus Dionysius hujus filius successit. Cleopatra ultima Ægypti regina luxu diffluens cœnæ splendore, unione mixto, Antonium superavit. Octavius Cleopatram & Antonium ad mortem sibi ipsis inferendam coëgit: & Ægyptum pop. Romani provinciam fecit.

CA.



## CAPUT XIV.

*De Asia minoris regibus.*

**A**Ntigonus primus Asiæ rex quatuor gessit bella. Primum contra Eumenem auxilio Antipatri & Ptolomæi. Secundum contra Cassandrum. Tertium adversus Ptolomæum & Seleucum. Quartum contra Ptolomæum, Seleucum, Cassandrum & Lysimachum; in quo cæsus est,

Demetrius Antigoni successor à Seleuco in fugam vertitur, tandem cum posset honestè mori, turpiter se dedere Seleuco maluit.

## CAPUT XV.

*De Macedonum Regibus.*

**C**assander Macedoniae & Græciæ rex multa bella cum finitimis gessit. Philippus ejus filius paucis diebus post interiit. Antigonus seu Antipater, & Alexander fratres bella inter se gesturi à Lysimacho de concordia monentur. Causa belli erat: Antipater



ter matrem ob suspicionem è medio sustulerat.

Alexander igitur necem matris ulturus, bellum movet.

Demetrius spe sua frustratus Alexandrum per insidias interfecit, occupatoque Macedoniæ regno, cædem apud exercitum excusat.

Pyrrhus rex Epiri, Demetrii exercitu corrupto, eum in fugam agit, regnumque occupat. Pyrrhus in Italiam veniens bella gessit cū Romanis.

C. Fabricius Luscinus, ad defectionem à Pyrrho sollicitatus, amplissima illius munera contempsit, & captivum per fugam, qui veneno se regē posse tollere confirmarat, remisit. Omnium primus Pyrrhus elephantos in Lucaniam adduxit.

Lyfimachus pulso Pyrrho Macedoniam occupat. Ptolomeus Ceraunus, Lyfimacho à Seleuco devicto, Seleucum orco tradit, Macedoniam invadit, favorem sibi conciliare studet. Meleagrus exiguo tempore imperio præfuit. Antipater diebus paucis

cis



eis regnum tenuit. Sothenes Gallos victoria exultantes cōpescuit, & Macedoniam ab hostili populatione defendit. Antigonus Sonatas Gallos, divitias & elephantes suos ipsis monstrans, ad prædam instigat. Demetrius puer admodum, absente patre, regnum amissum recipit, & Epiri regno Alexandrum spoliat.

Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium pupilli matre, arte fit rex.


Philippus succedit, quem Dardani cæteri que omnes finitimi populi contemptu ætatis assiduè laceſcebant. Ille verò & hostes summovit, & aliis bellum intulit. Postremò Romani ipsum superarunt, qui, ne senatus injussu belligeraret extra Macedoniæ fines, præscripserunt.

Perseus hujus filius succedit patri: bellum cum Romanis suscepit. Sed L. Æmilius Paulus II. consul, prælio tandē illum vincit, & una cū uxore, matre liberisq; capit, inq; triumpho ducit, unde vocatus est Macedonicus.

Ab



Ab eo tempore Macedonia facta  
est populi Romani provincia.



INTRODUCTIONIS  
IN HISTORIAM  
lib. II.

DE QUARTA MONARCHIA.

CAPUT I.

*De imperatoribus Romæ, seu ex  
Italia oriundis.*



Quatuor his regnis Ro-  
manæ potestati subje-  
ctis C. JULIUS CÆSAR  
rerû potitus, bello cla-  
rus, doctrina insignis,  
in urbem redit anno quinto post in-  
ceptum bellum civile. Cùm de Hi-  
spania triumphasset, Dictatoris no-  
men sibi delatum, perpetuò sumsit:  
senatum suo arbitratu constituit: re-  
liquos honores ac publica munera  
propè solus elargitus est: QUARTAM  
Romanorum MONARCHIAM incho-  
avit: in odia plurimorum incurrens,  
quinto



quinto post mense, quam Romam venisset, in curia Pompeii fuit idibus Martii interfectus ab iis, quos recenti beneficio sibi devinxerat.

Ciceronem quoque M. Antonius consul collega Cælaris, ut conscium cædis ad senatum coarguit, quod, interfecto Cæsare, statim cruentum altè extollens M. Brutus pugionem, ipsum nominatim exclamasset, atque ei recuperatam libertatem esset gratulatus.

1. Interfecto Julio Cæsare triumviri Antonius, Octavius, & Lepidus Mutius bellis se exercuerunt, donec tandem M. Lepidus triumviratu motus & relegatus, atque Antonius devictus fuerit.

2. Octavius igitur, Antonio sublato, secundus Romanorum imperator leges civiles, & pacem toti terrarum orbi restituit, ideoque Jani templum clausit. Imperii hujus anno trigesimo nono natus est salvator noster JESUS CHRISTUS, cum ante septem annos Herodes, cognomento magnus, tem-



plum Hierosolymæ dirutum, reædificasset magnificentissimè.

3. Claudius Tiberius Nero, Livie filius, Octavii Augusti privignus, gener, & filius adoptivus, admodum invitatus, ut præ se ferebat, & vix tandem exoratus à senatu principatum suscepit. Initio nihil solus agebat, sed paulò post totum se voluptatib<sup>9</sup> tradidit. Ejus regni anno decimo quinto, CHRISTUM esse crucifixum nonnulli tradunt.

4. C. CÆSAR Caligula parentis optimi Germanici, pessimus filius infinitam auri vim primo imperii anno profudit. Regni ipsius anno secundo Herodes Antipai in exiliū fuit missus.

5. Claudius Tiberius Drusus ejus patru<sup>9</sup>, Caligula necato, surrogatus est, Britanniam in deditionem recepit. Maxima eo regnante fuit inedia, quam ab Agabo prænunciatā Lucas evangelista commemorat.

Domitius Nero immanis, & efferrata bellua, multas provincias defectione amisit. Hostis à senatu judicatus,



32      I N T R O D U C T I O   I N  
catus, seipsum interfecit.

7. Sergius Galba doctrinæ admi-  
niculis ad summam dignitatem per-  
venit.

8. Silvius Otho splendidis majo-  
ribus ortus, sed omni vita turpis fuit.

9. Aurelius Vitellius Scenicus &  
Epicureus princeps.

10. Flavius Vespasianus multas  
provincias Romani populi fecit. Hi-  
erosolymam funditus delevit, admi-  
nistrante bellum Tito filio.

11. Titus Vespasianus laudatissi-  
mus princeps, deliciae & amor hu-  
mani generis, quodam die recorda-  
tus, se nihil alicui præstitisse, dixit:  
AMICI DIEM PERDIDIMUS.

12. Flavius Domitianus crudelis,  
& avarus fuit.

## C A P U T   I I .

*De Romana monarchia advenis im-  
peratoribus.*

13. **N**erva Coccej<sup>9</sup> princeps lenis,  
clemens, liberalitate & ma-  
gnificencia claruit.

14. Ul-



14. Ulpus Trajanus à Nerva Coccejo adoptatus, ac deinde Cæsar factus, multos Romano imperio adjūxit, qui tamen pleriq; omnes tandem rebellarent.

15. Ælius Adrianus Judæam rebellantem domuit. Moriturus versiculos composuit omnibus notissimos

*Animula vagula, blandula,  
Hospes, comesq; corporis,  
Quæ nunc abibis in loca  
Pallidula, rigida, nubula,  
Nec, ut soles, dabis jocos.*

16. Antoninus Pius ab Adriano convocato senatui commendabatur. qui post eum factus Cæsar, pacem coluit, & externos reges atque populos tum humanitate, tum literis in officio cōtinuit.

17. Marcus Antoninus Philosophus filius successit, Lucium Aureliū Verū socium imperii sibi sumsit, & feliciter imperavit.

18. Cōmodus Antoninus filius flagitiosissimus in omni genere turpitudinis & crudelitatis vitam degit.

C

19. Ælius



19. Ælius Pertinax mitis & placidus, de quo rectè dicitur:

*Si fortuna volet, fies è rhettore consul:*

*Si volet hæc eadē, fies è consule rhettor.*

20. Didius Julianus malis artibus ad imperium pervenit.

21. Septimius Severus civile bellum gessit cum Nigro & Albino, de quo meritò dicitur:

*Fortunã reverenter habe, quicumq; repente*

*Dives ab exili progrediere domo.*

22. Antonius Bassianus Caracalla filius, fratrem Getã interfecit: Papi-  
nianũ juresultum, nolentem defen-  
dere parricidium, trucidari jussit.

23. Popilius Marcinus parum fe-  
liciter pugnavit.

24. Heliogabalus Bassiani filius,  
turpissimus & flagitiosissimus fuit o-  
mnium.

25. Alexander Severus, vir stre-  
nuus Mesopotamiam recuperavit.  
Huic erat familiaris Ulpianus jure-  
consultus, à suis est interfectus.

26. Julius Maximinus Thrax Ger-  
maniam invadens, militem reduxit  
opu-



opulentum, à suis militibus una cum filio quiescēs in tabernaculo, fuit interfectus.

27. Gordianus adolescens, ab exercitu præfectus est: quam rem senatus habuit ratam, & Pupieno atque Balbino occisis, ad eum rerum summā detulit, à Philippo est interfectus.

28. Philippus, primus ex imperatoribus Christianus factus perhibetur. Idē ejus exitus fuit, qui Gordiani.

29. Decius à legionib. Illyricis factus Cæsar, assentiēte postea senatu, in armis promptissimus, Christianorū hostis acerrimus, ex insidiis una cum filio est interfectus.

Deinde Gallus à legione una & militum reliquiis Cæsar factus, pacem cum Scythis fecit, populo Romano turpem & ignominiosam. Hinc Scythæ ferociores facti aliis multis Romanorum hostib. magna perfecturi videbantur, nisi Æmilianus illos fudisset. Hac de causa Cæsar fuit salutatus à milite. Gallus, eo cognito, profectus, ut obsisteret, una cū filio Volu-

C 2 hano,



siano, imperii socio, fuit interfectus. Hoc tempore Cyprianus floruit episcopus Carthaginensis. Scripsit ad Cornelium: non scindendam esse concordiam episcoporum, neque despiciendum iudicium eorum, qui per Africam de causa jam statuissent.

Æmilianus datis ad senatum literis, quum imperator factus esset, promiserat se multa recuperaturum. Interim exercitus alter, qui in alpibus erat, Valerianum nobili genere natum Cæsarem creat. quod milites Æmiliani audientes, ne turbis implicentur, suum Cæsarem interficiunt, & ad Valeriani partes transeunt.

30. Valerianus Cæsar, in bellum Persicum profectus, culpam cuiusdam

sui ducis fuit captus. *humidelle et profectus*

*Valerianus in bellum Persicum profectus, a Gallieno captus. Gallienus filius successit, qui se totum voluptatibus dabat, neglecta re- publ. cõtemtus igitur tam domi, quã foris interfectus est.*

32. Flavius Claudius oēs, qui sub Gallieno desciverāt, rursus debellavit.

33. Va-



33. Valerius Aurelianus in Syria provincias, quas Zenobia fortis & <sup>Haec regina velut Se-</sup> animosa foemina obtinebat, recupe- <sup>miranda dupit aperit</sup> ravit. palmyram civitatem deficientē <sup>et filios regna simul!</sup> postea evertit. Ægyptum & Gallias recepit, post Romæ triūphavit. Persis bellum illatur<sup>9</sup>, in itinere à suis familiarib. est interemtus. Ab ejus interitu fuit interregnum aliquandiu: tandem successit

34. Tacitus paucorum mensium imperator. Ab hoc senatus oraverat, ne moriens filios, sed spectatæ virtutis virum, successorem faceret.

35. Valerius Probus à Tacito electus, à senatu confirmatus, Galliã recepit, & Francones Germanos multis præliis devicit. Multos populos terruit, & subegit. Pacatà longè latèque, & florente republica dixisse fertur, brevi futurum, ut legionib. atque præsidiis nihil esset opus. quo dicto milites offensi, è medio ipsum tollendum judicabant.

36. Carus Sarmatas fregit, inque Persas proficiscens, Mesopotamiam

C 3 cepit,



cepit, longiusq; profecturus interiit.

37. Diocletianus Carinū Cari filium debellavit. Collegam assumpsit Maximianum. Ægyptum & Britanniam pacavit: & ne motus novi propter successionem excitarentur, Galerium adoptavit. Maximianus autem Galliam commotam pacavit, & Africam: Constantium Chlorū adoptavit. Postea uterq; abdicato magistratu, suos consortes imperio præficiunt. Hoc tempore Romę fuit episc. Marcellus, cujus extat decretū: episcopis non licere convocare synodum absq; Romanę sedis auctoritate: non licere in damnare ullū episcopum, qui Romā provocarit. Constantio mortuo, Galerius (qui à Diocletiano missus, Persarū regem Narsem superavit, & totā Assyriam domuit) adoptavit Severū & Maximianum. Interea milites prætoriani Maxentiū Romę salutant Cęsarē. Interfecto Severo, Maximianus imperii collegam assumpsit Liciniū. Inter hos magni fuerunt motus, ideoq; nobi-  
les



les Romani Constantinū, Constātii  
filium in Galliis agentem evocant, ut  
urbem à tyrannide Maxentii liberet.

## CAPUT III.

*De imperatorib. Constantinopolitanis  
ante avulsam occidentem.*

I. **C**onstantin<sup>o</sup> magnus cum parte  
copiarum in Italiam profectus  
cōmisso prælio vincit, Licinium su-  
perat, Christianos defendēs. Rerum  
potitus & veram amplexus religionē  
Christianis portus atq; refugium ex-  
titit. Liberalitatis illius immēsa (quā  
huic tribuunt) causa & occasio falsi  
redargui potest ex historiis. Hujus  
mandato Niceæ conciliū est habitū  
longè frequentissimū, in eóq; dogma  
damnatum Arrii, qui Christū nega-  
bat ejusdē esse substantiæ cum Patre.  
Byzantium, Thraciæ urbē, suo de no-  
mine vocavit, eò translata sede regia.

Salutatus amplissimè à senatu po-  
puloq; Romano propter restitutam  
reipubl. pacem ad externa bella totū  
se convertit. In Asiam cum venisset

C 4 cum



cum exercitu, sumto pharmaco vitā  
finit, non absq; veneni suspicione.

2. Constantinus patris divisione  
non contentus, bellum intulit fratri  
Constanti: sed amisso exercitu con-  
foditur. Constans biennio ditionem  
omnē mortui fratris obtinuit: postea  
fraude Magnentii ( quem milites  
præmiis allecti imperatorem saluta-  
verant ) fuit interfectus.

3. Constantius hac re cognita,  
magnis cum copiis in Italiam, ac in-  
de in Galliam accedens, hostem in-  
genti prælio vincit: Julianum patru-  
elem suū adoptat, & Galliæ tutelam  
committit. Qui feliciter administra-  
ta re ab exercitu non modo Cæsar, ve-  
rū etiam Augustus salutatus & dia-  
demate, licet invitus, uti præ se fere-  
bat, est ornatus. Ea re Constantius  
plurimū offensus, iter ingressus est, ut  
Julianū ad officium reduceret: sed in  
itinere febris correptus, vitam finivit,  
Juliano prius constituto successore.

4. Julianus apostata, accepto, cū  
esset medi<sup>9</sup> inter suos milites, vulne-  
re



re excessit è vita, Christiani nominis hostis.

Sub hujus imperio Judæi tēplum Hierosolymis restauraturi fulmine extinguuntur.

5 Jovinianus à militibus Cæsar constituitur. Hoste imminente, pacem fecit reipublicæ ignominiosam. Progressus cum exercitu, ut domum rediret, in finibus Bithyniæ mortu<sup>9</sup> est.

6. Valentinianus ab exercitu Cæsar electus, postquam Constantino-polim venit, collegã sumit fratrem Valentem. profectus in Germaniam, Saxones oceano vicinos domuit. Ira concitatus periisse fertur. Interim frater ipsius Valens in Europa prælio victus, in fuga vulneratus, inq; tugurium quoddam delatus, immisso ab hostibus igne, conflagravit.

7. Gratianus à patre cooptatus, à quodã suo belli duce Maximo, affectante imperium, per insidias fuit in Galliis interfectus. Eodem fere fate filius Valentinianus occubuit, etiam fraude sui familiaris Arbogasti.

7. Sed



Sed percussores postmodum pœnas dederūt, hic sibi mortē ipse conscivit, alter Aquileiæ fuit interfectus,

8. Theodosius pietate clatus, ab Episcopo Mediolanensi aditu templi prohibitus, patiēter tulit. Rerum potitus, imperii socios constituit Honorium & Arcadium: quibus ætate adhuc minoribus attribuit, huic Ruffinum, illi Stiliconem.

Ipso jubēte, Constantinopoli fuit habita synodus, damnatumque in ea Macedonii dogma divinitatem spiritui sancto derogantis.

9. Arcadius ad Orientem solem Constantinopoli præerat: Honorius autem Romæ. Sed Ruffinus perfidē Gothorum Regem, ut Arcadio bellum faceret, hortans, à militibus trucidatus est. Arcadium Cæsarem Innocentius ejus nominis primus, episcopus Romanus, excommunicavit.

10. Theodosius secundus, hujus filius, synodum Ephesinam, in qua Nestorius, qui Christum natum esse Deum ex Maria virgine negabat, damnatus est, instituit. Stili.



Stilico, insidias huic Cæsari struens, captus & interfectus fuit.

11. Martianus successit. Circiter hoc tempus Athila rex Hunorum, Dacia & Pannonia occupata, vicinas regiones crudelissimè vastabat, imperii partem ad occidentem solem occupare studuit. Quo tempore Venetorum urbs condita fuit. Pleriq; enim potentiores ex vicinis locis in illa maris æstuaria, velut in portum aliquem sese receperunt. Martiniano iubente, Chalcedone fuit coactum concilium amplissimum, & damnatus Eutyches, duas naturas in Christo confundens.

12. Leo primus à patriarcha coronatus, nihil memorabile fecit. Huius tempore Odoacer cum ingenti manu Herulorum Italiam vastavit.

13. Zeno Isauricus successit: qui Theodoricum Ostrogothorum regem misit, ad Odoacrum extinguendum: quæ res feliciter successit.

14. Anastasius dogma Eutychianum probans orthodoxis gravami-

ni



ni fuit. Hoc fere tempore, anno salutis quinquagesimo rex Francorum Clodoveus Christi religionem primus fuit amplexus. Anastasius fulmine est extinctus.

15. Justinus obscuro genere natus, & è subulco factus miles, successit.

16. Justinianus, sororis Justini filius, Italiam & Africam recuperavit: & leges collegit.

17. Justinus, hujus ex filia nepos, socordis ingenii princeps, per Italiam magistratum Exarchum instituit, is erat tanquam Cæsaris vicarius atque legatus: Ravennæ potissimum habitabat, neglecta Roma, singulisque civitatibus & oppidis unum aliquem præficiebat.

18. Tiberius jam antè occupatus, & imperii factus collega, beneficus in pauperes fuisse dicitur.

19. Mauritius, illius gener, factus Cæsar, propter avaritiam exorsus militi, coactus est profugere Chalcedonem. Hoc regnante cometa senis mensibus apparuisse; tunc etiam Mahome-



hometus natus esse traditur.

20. Phocas centurio, Mauritium cum uxore, liberis, omniq; stirpe neci dedit, qui per seditionem deinde salutatus est imperator: propter crudelitatem, & neglectam rempubl. occisus est.

21. Heraclius multis bellis fuit occupatus. Ab hoc Saraceni militātes, cū stipendiis fraudarētur, maxima multitudine deficiunt, & Mahometo duce, per Syriam grassati, Damascum occupant, Ægyptum vastant, Arabiam subigunt, & in Persas quoque feliciter præliantur.

22. Constantinus filius paucos menses imperat.

23. Constans Heraclii nepos, infelicissimè mari pugnavit. Romam placidè ingressus omnib. ornāmētis eum spoliat. In Sicilia in balneo fuit interfectus. Cū de successione essent dissidia, Saraceni occasionem nacti, imperio magnū damnum inferunt.

24. Constantinus Barbatus Saracenos fudit: inducias annorū trigin-

ta,



ta, & annum vectigal ipsis imposuit.

25. Justinianus filius, per ætatem, & imperitiã malè rempubl. gerebat. Ob crudelitatem à Leontio naribus præcisus fuit relegatus: quem Tyberius à militib. imperator electus, rursus naribus truncat, in catenas conjecit. Tandem Justinianus, Trebellii Bulgariae regis auxilio (in quem tamẽ postea ingratus fuit) utrumq; cepit, & interfecit.

26. Philippicus Bardanes, ad quẽ exercitus defecerat, à Constantino pontifice schismaticus pronunciat<sup>9</sup>, tandem à suis est exoculatus. Anastasius interim successurus à militib. recusatur & factus est imperator quidã obscuri generis Theodosi<sup>9</sup>, qui Anastasium prælio victum, sacris addidit: sed non multò post ipse ejectus est, à Leone copiarum præfecto.

27. Leo successit: quo regnante Saraceni Constantinopolim per triennium obsident. Hic Cæsar statuas oēs, & divinorũ imagines è tẽplo ejecit, malè audiens à põtifice Romano.

28. Con



LIBER POSTERIOR. 47

28. Constantinus Copronymus, Leonis filius, Artabastum novum imperatorem electum Constantinopoli exoculat. Excommunicatus quoque fuit à papa, & legati ipsius in vincula sunt coniecti.

29. Leo, hujus filius, eisdem cum patre fuit religionis,

30. Constantinus filius, cum per aetatem regere nequiret, mater ejus bene rempub. gerebat. Ille autem gradior factus, dejecta matre, insolenter cœpit regnare. Tandem verò rerum summa ad matrem Irenem rediit, quæ quarto demum anno sui imperii iniquè in exilium est relegata.

CAPUT IV.

*De imperatoribus orientis post avulsam occidentem.*

**I**Nterea dum ita Constantinopoli tumultuosè res aguntur, celebris erat Caroli regis Francorum fama. Aquitanico enim bello confecto, ab Adriano episc. Romano rogatus, cum exercitu venit in Italiam: & Desiderium



rium gravem Italiae post longam obfidionem cepit, ejusque filium Adalgisium regno deiecit, & omni expulit Italia. Ceterum imperatores Orientis continuis fere bellis agitati, vel non potuerunt, vel noluerunt difficultates, & varios tumultus sedare.

Ab Irene autem ad Palæologum postremum, circiter quinquaginta numerantur imperatores Græci, & in his aliquot fœminæ: ex ipsis tamen plerique ignavi.

Constantino Monomacho regnante, Turcæ ab humiliori origine paulatim progressi longius, Asiâ vastari cœptâ, vires quotidie auxerunt. Princeps illorum fuit Ottomanus ad annum Christi circiter millesimum trecentesium.

Mahometus deinde ejus nominis secundus, Solymani proavus, captâ Constantinopoli, & Constantino palæologo Cæsare interfecto cum omni familia, nomen & successionem imperatorum nostræ religionis iis in locis funditus delevit.

CAPUT



## CAPUT V.

*De imperatoribus Germanicis.*

**I**Carolus ergo rex Francorum vocatus & rogatus Italiam, & reliquas oras pacavit, tandem Romanam profectus à Leone, & ab omni populo Romano salutatus est imperator Augustus, cùm jam annos regnasset triginta tres, Parisinam Academiam instituisse, & mensibus nomina Germanica dedisse, traditur.

Mortuus est annos septuaginta natus, quum per annos fere quatuordecim Cæsar fuisset: Germanorum omnium primus ad eam evectus dignitatem.

2. Ludovicus, Caroli filius, alter imperator Germanicus, cum Cæsare Græco Leone Armenio renovavit amicitiam. A filiis ad monasticam vitam fuit detrusus.

3. Lotharius imperium nactus est, cæteri fratres Carolus Aquitanie, Ludovicus Bavarie sunt præfecti. Verùm contentionib. inter fratres ex-

D ortis



ortis nova est facta distributio, ut Ludovico Germania, Galliaëque pars, Carolo Gallia ab Oceano Britannico & Pyrenæo saltu usque ad Mosam cederet. Lotharius præterquam quòd Cæsar esset, Italiam & Narbonensem quoque provinciã obtinuit.

4. Ludovicus secundus, hujus filius. Saracenos in Italiam irruentes, repressit. Hujus legatis neglectis, Adrianus II. papa fuit electus.

5. Carolus secundus, Galliaë rex, magna celeritate proficiscitur in Italiam, resistente licet altero fratre nato majore Ludovico Germaniæ rege, & à Johanne octavo Romano pontifice consecratur.

6. Ludovicus tertius, hujus filius, cognomine Balbus, bienniũ præfuit.

7. Carolus tertius Crassus, Ludovici Germaniæ regis filius, omnem Germaniam, Italiam, & Galliam obtinuit, Saracenos profligavit.

8. Arnolphus, fratris filius, Romam capit. Quo imperante, Hungari ex Scythia pulsi in Pannoniam irruunt,

9. Lu-



LIBER POSTERIOR. 51

9. Ludovicus III. hujus filius successit, cui Hungari magnū damnum intulerunt. A Berengario, Italiā devictā, exoculatus dicitur. Germani, Saxones præsertim & Francones, hoc mortuo, Cæsarem salutabant OTHONEM Saxonum & Thuringorū Principem. Sedis, ætate gravis, auctor ipsis fuit, ut CONRADUM Franconię ducem eligerent.

II. Henricus auceps, Othonis filius, à Conrado imperator proponebatur. Hi duo Cæsares ab episcopo Romano non fuerunt consecrati. Henricus quidem oblatam à Papa consecrandi cerimoniam neglexisse fertur, quod bonorum virorum iudiciis atque suffragiis contentum se diceret. Arnolphus Malus Bavarix, & postea Burchardus Sueviæ Dux, rebelles rei summam ad se traducere cogitabant: sed ille colloquio, hic potentiā Cæsaris territus est. Multis peractis bellis Romam venit, concilium habet, ei que præfuit, & Johannem XII. propter crimina loco re-



movens, Leonem ejus nominis octavum instituit.

12. Otho primus Henrici filius à patre imperii collega designatus, propter rerum gestarum amplitudinem, & præstantem virtutem Magnus vocatur.

13. Otho secundus Henricum, Bavarix ducem rebellantem, armis ad officium adduxit.

14. Otho tertius, hujus filius, Papam constituit Brunonẽ hominem Germanum nominatum postea Gregorium Quintum. Quia autem propter imperii successionem perpetuam erant turbæ, constituit, ut certi Germanix principes viri jus, & potestatem deinceps haberent eligendi Cæsares: ne quis videlicet dignitatem illam velut hæreditariam posthac invaderet. Decretum hoc incidit in annum post Christi natalem circiter millesimum.

#### CAPUT X.

*De imperatoribus Germanicis ab Electoribus constitutis.*







verò naturá proclivis in vitia, lascivire cœpit. Saxones igitur ad vindicandam libertatem, arma sumunt. Ille verò postulatis ipsorum satisfaciens, nocturná fugá vix elabitur. Excommunicato ( quod præfecturas ecclesiasticas divenderet ) à papa Cæsari principes Germaniæ parere nolunt, cogitur itaque deprecari. Post multam actionem hæc ei conditio proponitur: iudicio se sistat, & cognitioni subiiciat papæ, quem Augustam sint evocaturi: absolutionem impetret excommunicationis: copias dimittat, Spiræ privatus vivat parva cum familia: publicam rem nullam gerat, neque fasces, vel imperii signa sibi sumat; donec legitimè sit decisa controversia. Recipit conditionem: papæ obviam iturus Italiam ingreditur: ab episcopis honorificè ( opinabantur enim animo irato illum eò venisse ) excipitur: à papa per legatos absolutionem rogat. Cæsar totum triduum permansit in arcis area & vestibulo ( ubi pontifex erat ) tenui



nui cultu, depositis regis insignibus, nudis pedibus, & ad vesperam usque jejunus. Quarto demum die admissus omnes papæ leges probat, & admittit. Quare cognita, proceres Italiæ vehementer offensi de filiolo Cæsaris eligendo, Romamq; traducendo, & desiciendo pontifice cogitant. Cæsar, eo cognito, à pactione discedit, pontificis consilia turbat. Principes igitur Germaniæ hisce de rebus à papa certiores facti, Rudolphum Sueviæ ducem, creant Cæsarem, qui ab Henrico oppugnatus tertio conflictu graviter vulneratus, non multò post è vita excessit. Cæsar profecturus in Italiam filium sibi successorem designat.

19. Henricus V. hujus filius ab aliis extimulatus, in summas angustias parentem conjecit, & abdicare se magistratu coegit. Aliquot post annis in Italiam vadit, & ferro patefacta sibi viâ, Romam demum venit. Reversum in Germaniam Cæsarem, pontifex à pacto discedens, excom-



municat. Ea res multos Germaniæ principes ad rebellionem comovit.

20. Lotharius, è Saxonix ducum familia, succedit. Qui Sueviæ ducem Conradum rebellantem, pacem perere coegit. A Carolo Magno vix alius majora per Italiam egisse fertur. Restituit innocetium II. Pontificem.

21. Conradus III. Sueviæ Dux, Henricum superbum Bavariæ ducem proscrisit.

22. Fridericus Ænobarbus, Sueviæ dux, Conradi fratris filius, heroici vir ingenii. Multis rebus laudabiliter gestis, duo de principatu contendeabant pontifices, Victor & Alexander. In Victorem Cæsar quidem magis inclinabat, sed Alexander competitorum, post etiam, aucto dissidio, Cæsarem excommunicabat. Licet autem bello superior esset, periculis tamen ingruentibus ab amicis exoratus, supplex pontifici Venetiis in gratiam rediit. In Asiam profectus adversus Christianæ religionis hostes, & oppressus impetu fluminis, in  
quod



LIBER POSTERIOR. 57

quod lavandi causa sese dimiserat,  
periit.

23. Henricus v i. hujus filius, A-  
pulia & Calabria devictis, Neapoli  
quoque capta, Siciliam domat. Dein-  
de filium suum Fridericum, adhuc in-  
fantem, successorē de voluntate Ger-  
maniæ principum, designat.

24. Philippus, licet alii Othonem  
Saxonix ducem, unde magnus mo-  
tus fuit exortus, crearent, partim ar-  
mis, partim humanitate adversarios  
ad officium deduxit. In cubiculo est  
occisus.

25. Otho Saxonix dux succedēs,  
ab innocencio ~~iv.~~ est excommuni-  
catus. Principes ergo Electores à  
pontifice sollicitati, ut alium crea-  
rent, Henrici v i. filium, cui fidem  
dederant adhuc infanti, sed propter  
infantilem ætatem nondum admise-  
rant, evocant è Sicilia.

26. Fridericus igitur II. Otho-  
nem cum exercitu occurrentem ex-  
pugnat. Rebelles per Italiam domat.  
Excommunicatur à pontifice, quare

de.



deprecatus, seseq; purgans, cum nihil proficeret, Romam petit, & pontificem dejicit. Rursus excommunicatus, per legatos agit de pace. Verum nihil impetrans, & denuo excommunicatus, fremens & iratus in Italiam redit, atq; Romam obsidet.

27. Cunradus I v. à patre designatus, ab Innocētio excommunicatus, & ab Henrico Thuringiæ Landgravio (cui S. Elisabetha fuit nupta) est oppugnatus.

28. Guilielmus, Hollandiæ Comes, ab Electoribus imperator creatus. Dum in Frisios, res novas molientes, cum exercitu proficiscitur, ab insidiis circumventus, & hastis confossus est. Ab hoc per annos 17. fuit interregnum, quum subinde variè fluctuaret respublica.

29. Rodolphus Habsburgius, ex castris vocatus, & Cæsar factus, motus per Germaniam componit. Acceptâ pecuniâ Italiæ civitates multas, quæ erant imperii, liberas & immunes fecit: Bononienses, Florentinos, genuates, Lucenses, & alios.



30. Adolphus, familiae Nassovicae, inimicitias exercuit cum Alberto Austriae duce. Cum suis moribus Germaniae principes admodum offenderet, loco est remotus.

31. Albertus, Austriae dux, Rudolphi filius, electus, in agro Spirensi Adolphum gravissimè fauciavit. Albertus demum à suis est interfectus.

32. Henricus VII. è familia Luceburgica, filio suo Johanne per matrimonium facto rege Bohemiae, in Italiam proficiscitur: Romae ab aliquot cardinalibus coronatus, iusjurandum praescriptum pronunciare recusat. Mortuo Henrico non absque gravissima veneni suspitione, acerrimae contentiones ortae sunt in Germania super electione.

33. Ludovicus tandem Bavariae dux, rerum potitus, Romam profectus est, & magna cum gratulatione exceptus (invito pontifice) coronatus est ab uno & altero cardinali. Cum pontifex ingeminareret excommunicationem, ille de consilio proceditq;

cerum,



cerum, papam alium creat. In Germaniam revertente Cæsare, papa moritur: successor ejus Benedictus XII. Cæsarem & ipse excommunicat, & dignitate privat. Cæsar verò principibus exponit pontificum injurias, & ostendit sufficere in electione Cæsaris principum voluntatem. Mortuo Benedicto, succedit Clemens VI, omnium violentissimus, minatur principibus, se daturum operam, ne diutius ecclesia patrono careat. Fluctuante ad hunc modum republ. Ludovicus mortem obiit.

34. Carolus IV, Bohemiarum rex eligitur. Italiã egressus, decretum illud imperii facit, quod Bullam auream vocant.

35. Venceslaus, Caroli filius, magnis largitionibus vix tandem factus imperator, natura, educatione, & vitæ genere admodum vitiosus fuit. Principes ei magistratum abrogant.

36. Jodocus Barbatus nihil memorabile toto vitæ tempore edidit.

37. Robertus Palatinus à principibus



pibus electus, ad emendandum ea, quæ Venceslaus peccasset, animum adjecit.

38. Sigismundus, Hungariæ ac deinde Bohemiæ rex, licet fidem publicam dederit, Johannem Hუსū tamen à pontificis tyrannide perfida liberare non potuit.

39. Albertus II. Austriæ dux, Hungariæ, Bohemiæque rex civilibus & Turcicis bellis impeditus, in Italiam non venit.

40. Fridericus III. Austriæ dux successit. Regni ipsius anno quarto Vladislaus, Poloniæ simul & Ungariæ rex, quum pontificis impulsu violasset inducias, ab Amurathe secundo ejus nominis, Turcarum imperatore, prælio victus ad Varnam occubuit. Nono post anno Constantino-polim vi cepit Mahometus Amurathis filius.

41. Maximilianus primus, filius Friderici, inter alia multa, cum Venetis quoque bella gessit.

42. Carolus hujus nominis quintus,

tus,



tus, è filio Philippo nepos Maximiliani, Cæsar longè potentissimus, princeps nunquam satis laudatus, successit. Hoc imperante varii tumultus in religione sunt exorti, qui etiamnum durant. Etsi enim pax quædam certis limitibus sit definita, tamen gliscente odio, omnibus ex partibus vulnus illud subinde refricatur.

43. Ferdinandus primus, frater Caroli V. successit: in cuius tempora factio Grumbachiana incidit.

44. Maximilianus secundus, huius filius, hunc excepit, rex postea Ungariæ coronatur, Viennæ decessit.

45. Rudolphus II. Maximiliani filius, imperator post eum factus, inducias annorum viginti cum Turca pepigit. Obiit Pragæ.

46. Matthias, frater Rudolphi successit, cuius tempore oppidum Rhaticum Plüers, dictum à monte vicino, horribiliter oppressum est, suntque in Bohemia periculosi excitati motus, quibus nondum sedatis, im-

pe-



perator Viennæ rebus humanis exemptus est.

47. Ferdinandus II. Austriacus Francofurti post hunc in imperatorem electus & coronatus etiam nunc rerum potitur.

Ex quibus omnibus facile est intelligere, quæ temporum vices fuerint. Cùm autem hæc nostra tempora sint afflictissima, diligenter sunt omnia curanda, ut & his præsentibus malis, & adversum imminentes fluctus atque tempestates, vera nos & certa consolatione, tanquam vallo quodam & aggere præmuniamus.

F I N I S,





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Vnt. : Na 1018<sup>e</sup>
































K 226


ULB Halle 3  
006 698 808



TA → OL

V 377







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

INTRODUCTIO IN  
**HISTORIAM**  
EX IOANNIS SLEIDA-  
NI TRIBUS LIBRIS  
de quatuor summis im-  
periis excerpta.

3



BREMÆ  
Typis Thomæ Villeriani scholæ typogr:  
ANNO  
M DC XXI.